

In Iaponia haud rara; legerunt KEISKE, SIEBOLD, TEXTOR; locis apricis montium Hakone ins. Nippon invenit PIEROT. — *Kan sorina* vel *Gamonsi iap.*

LACTUCA TOURNEF.

1. **LACTUCA SQUARROSA** MIQ. Glabra glaucescens erecta, caule tereti; folia sessilia, pleraque, praeter radicalia passim spathulato-oblonga, pinnatifida, inferiorum lobis utrinque circiter quaternis terminalique longe acuminatis, margine inferiore arcuatis integerrimisque, basi non raro divaricate bilobis, antrorsum praeter acumen dentatis vel integerrimis, latis vel angustis, superiorum lobis utrinque 3—1 omnibus linearibus acuminatis, supremo lineari-lanceolato, distanter mucronato-denticulatis vel integerrimis; panicula primum racemiformis dein expansa, ramis brevibus racemoso-paucifloris, pedicellis sparse bracteolatis; involucri 14—27?—flori squamae interiores 8 lineares aequales margine scariosae, exterioribus calyculantibus inaequalibus multo longiores; corollae ad laminae exortum pilosulae lamina 5-dentula; achaenia ellipsoideo-compressa costato-sulcata marginibus acute extenuata subscabriuscula, abrupte in rostrum breve apice cupuliforme expansum constricta, pappo fere duplo breviora. *Prenanthes squarrosa* THUNB. *Fl. p.* 303. DC. *l. c. p.* 196. — An satis differat *L. brevirostris* CHAMP. in BENTH. *Fl. Hongk. p.* 192 ultro inquiretur.

Specimen prostat a THUNBERGIO cum ROYENO communicatum, *Prenanthes* inscriptum, quod vero adeo exacte cum diagnosi congruit, ut absque ulla dubitatione huc retulerim. — Affinis videtur *L. indicae* et *L. longifoliae* DC., in universum vero inter Lactucam et Crepidem fere medium tenet. — *Folia inferiora* 15—8 poll. longa, lobis 3—4 poll. longis, tota perspicue denticulata, lobis oppositis alternisve rectis arcuatisve; *caulis* calamum scriptorium crassus angulatus foliosus, *foliis* supremis indivisis raro basi leviter amplexicaulibus vel lobulo utrinque auctis non amplexicaulibus sessilibus, 7—3 poll. longis, 6- fere 2 lin. latis. *Panicula*  $\frac{1}{2}$ —1-pedalis, primum contracta, dein lato-pyramidata, *ramis* nunc patentibus racemose vel subcorymbose floridis; *pedicelli* involucrum circiter semipollicare aequantes vel superantes praesertim superne dense minute adpresse bracteolati, *bracteolis* fere cum involucrio confluentibus. *Involucri* squamae exteriores 8—9, superiores pedetentim longiores suberectae carinatae  $\frac{1}{2}$  *intimas* aequantes post anthesin breviores; hae 8 lanceolatae obtusulae aequales uniseriales. *Flores* lutei. *Achaenia* anguste oblonga compressa marginibus subalato-extenuata, fusca, nigrescentia, facie antica concaviores, dorso convexiores et nervulosa, adulta glabra, iuniora subscaberula, apice abrupte brevi-rostrata, *rostrum* tenui pallido  $\frac{1}{4}$  achaenii longo, apice abrupte in cupulam albidam semiglobosam integerrimam expanso, quae basi annulo prominulo pappifero cincta. *Pappus* flavido-albidus uniserialis, setulis obsoletissime scaberulis. — Legerunt THUNBERG et BUEGER. — *Aki no kosi iap.*

*Observ.* An huc *Crepis dentata* SCHULTZ Bip. in ZOLL. *Cat. p.* 126 quam non vidi? — *Sonchum lactuoidem* BUNGE e China nostra etiam refert, sed illius achaenia haud examinavi.

2. **LACTUCA** (*Mycelis*) **SORORIA** MIQ. Erecta, glabra, caule laevi fistuloso inferne folioso superne ampla panicula terminato; folia longiter petiolata lyrato-pinnatipartita, segmentis lateralibus utrinque vulgo 2; infimis remotis minoribus, ovalibus acutis vel obtusis, superioribus cum terminali saepe maiore ovato passim sinuato-confluentibus raro discretis vel subpetiolatis, omnibus haud raro subsinuosis mucronulato-denticulata, subtus glauca, suprema pauca angulato-subrhombico-oblonga vel sublanceolata sessilia; panicula laxa composita; pedicelli tenues; involucri 12—10- raro 6-flori squamae 8 raro 6 erectae lineares margine scariosae, squamulis circiter octonis ovatis et sublanceolatis inaequalibus subpatulis multo brevioribus suffultae; achaenia elliptico-oblonga subcompressa sulcata, in rostrum brevissimum pallidum apice in cupulam magis minusve expansum constricta, pappo brevi albido.

Valde affinis *L. (Prenanthes) muralis*, a qua differt foliis, lobo scil. medio producto, squamis involucri 8 nec vix 6, extimis numerosioribus, achaeniis brevioribus et rostro brevi. *L. graciliflorae* DC. etiam affinis, sed huius capitula pauciflora et folia pubescentia. — *Folia caulina* in nostra passim cuneato-rhombea et panicula depauperata oligantha. — In aquosis montis Tahakka in prov. Hiugo detexit SIEBOLD. — *Murosaki nigana daima iap.*, *San kubai sin.-iap.*

3. **LACTUCA SATIVA** LINN. in Iaponia colitur.

*Observ.* Prostat adhuc specimen incompletum *Lactucae* probabiliter novae, inter *L. sororiam* et *L. squarrosam* habitu medium tenentis, sed cum inflorescentia et folia *separata* adsint, silentio transire satius duxi; folia hastato-triloba, lobo medio longe lanceolato acuminato, lateralibus brevioribus dentatis; inflorescentia glanduloso-pubera, caeterum fere *L. squarrosae*; involucra circiter 12-flora.